QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IV. MARTII MAGISTRO IOANNE LE MERCIER, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

697.

An ἀφροδισιαστέον τοῖς χθονίοις?

DVO sunt omni viuenti, nulli tamen magis quàm homini, communes & infensi hostes mors & morbus, illa semper vitæ insidiatur, hic sanitati: quæ nusquam tuta, quãtumuis perfectissima, imperfectam quis eligeret? Est & suis plena periculis ὑγεία. Vnica ad mortem via morbus est, nec vlla mors nisi in vigore morbi, in declinatione nunquam: Annon & senectus ipsa morbus ἀνίαλος, mortem (finem caue dicas) tandem parit: hæc & illa vt retardari possunt, sic accelerari, neutra euitari: dierum numero, non certo, breuiori vitam absoluunt homines, quibus exsiccantium vsus esse solet, ideo pueris & febricitantibus familiaris victus humidus, omni ætati nec improbandus, hoc ipso senes iuuenescere videntur, & meritò suam seruare senectutem respondebat ille extus oleo, intus vino, cuius ne minimùm primis concederem annis: humido definitur μακροβιότης, quod sit δύσπικτον ὑ δυσζήρευτον: mascula fœmineis, sanguinea exanguibus sunt viuaciora: Num terrena aquatilibus?

MORTIS & morborum vndequaque occurrunt causæ à semine & mẽstruo sanguine tanquam ab internis principijs frequentissimè, parentes enim vt morum sic affectuũ nos sæpius hæredes relinquũt, ἀφρίπδος, φθίσεως, lepræ, ῥεφιπάδες, ἐπιληψίας, quos in prole medicus curat, sæpe nõ sanat: An à mẽstruo morbilli, & variolæ? nequaquam; quibus nondum apparentibus, eruptis, aut extinctis, febre nullâ tenus remittente, longè securius hoc sæculo venæ sectione, succis acidulis succurritur, quàm prisco, bezoardicis, gemmis, margaritis & id genus alijs. Sed mortis & morborum causas externas fortuitas, necessariasuè quis enumeret? quarum illas dum posse fugere natura voluit, Anne matrem se præbuit in cæteris, nouercam? Cælum, contemplatione medici non indignum & maximè aër, vitæ præcipui vindices, venenosa sua qualitate plerumque corda potenter feriunt improuiso, necnon miserè perdunt.

IDvnicum homo habet vt caueat, Ne quid nimis, aureáque illa dictatoris summi apprimè teneat, labor, potus, cibus, somnus, Venus, omnia mediocria: Annon & animi pathemata? quid efficit timor? hominem iugulat. Quid tristitia? bilem, febres χειροδίκας generat: laboris ἀμέλεια corpus nimiùm exsiccat, exhaurit & refrigerat: Cibi, potus, repletio non vtramque modo κακοχυμίαν inducit, sed & πολυφάγας, σῦλιν, ἀμύστιν: somnum immoderatũ, à quo naturales actiones quàm à vigilia longè perfectiores, comitantur mentis & corporis torpor, faciei liuor, & excrementorum suppressio: his nec minora damna affert Venus sine modo culta, in homine quàm in vllo animantium genere ardentior, frequentior, non definita certis temporum differentijs, virostamen Hyeme, Æstate mulieres ad libidinem alacriores reddi & ipsas prægnantes συζυγίαν agnoscere, ὑπερκύησιν cum lepore duntaxat & suibus pati verissimum.

VIRIS licet frigidiores fœminæ, voluptatisque minoris in coitu participes, salaciores tamen sunt, præ cæteris verò viragines, grauidæ, nutrices, quibus vt vini venerisque vsus prohibetur, sic infantes à grauidarum suctu abstinebunt, non item recẽs enixarum, nec obstat harum quàm illarum menstrua (quibus fluentibus conceptio facilior aliquando) suppressa peiorem qualitatem contraxerint. Quæ sæpius gestarunt, veneris minùs sunt appetentes, & senescunt citiùs: viri ex nimia seminis, à toto non decidui, profusione, infinitis morborum generibus obnoxij redduntur, & præcipites vitę metam nunquam attingunt vltimam! Est enim in veneris vsu semper adhibenda mediocritas, cuiuis definienda rectiùs, qui temperamenta, ætates, exercitia, viuendi rationem, tempora nouerit & subtiliter distinxerit: sic naturis siccis tam calidis quàm frigidis, pueris, senibus, adolescentibus, adde studiosis Venus φιλομείδης fugienda: calidis & humidis, temperatis iuuenibus & robustis, seminéque turgentibus, vere autem potissimum minùs noxia, suam si seruet mediocritatem.

MODERATÆ veneris quid commoda referam? corpus & animum exhilarat, mœstitiam pellit, morbos ab vtero, strangulatum & fœdos virginum colores sanat, menstrua promouet, partum accelerat: immoderatam sequitur morborum ilias, cerebri impensa refrigeratio, tremores artuum, arthritides, σπασμοὺ, paralyses, sensuum omnium, ingenij, memoriæ debilitatio, coctionis imminutio, sterilitas, caluities, τὸ ἐν ὑγρῷ γῆρας, exolutio virium, quid plura? salaciores vitam breuissimam viuunt: passeribus minimum vitæ, & quibus salacitas par, mulis quàm equabus & asinis diuturnior vita. Enimuerò semen ab anima quæ est in testibus efficitur, ex puriori scilicet sanguine, in hepate priùs elaborato, & omni spirituum, quos ideam partium singularum referre nequaquam dicendum, genere, à quibus nutrimentum, sic calor, robur & ἐυχροΐα toti accidunt corpori. Ex quo non mirum videri debet si venere immodica solidę partes natiuo suo pabulo & genio defraudatæ maturiùs, quàm Naturæ lege, exsiccentur, marcescant.

Ergo ἀφροδισιαστέον τοῖς χθονίοις. 144

Proponebat Lutetiæ Parisiorum IOANNES COMPLAINVILLE Parisinus.
Anno M. DC. XXVII.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE